

tecto clauditur. Sic hyemem exigunt: nam æstate, opacum in ripis frigus captant, aut undis immersi calores æstivos fugiunt. In una sæpe domo ingens, & multorum capitum familia stabulatur. Quod si loci premuntur angustiis, discedunt juniores ultro, & sua sibi domicilia moliuntur. In eam curam incumbunt sub prima autumni frigora, & mutuas sibi invicem operas commodant, tum ad secunda ligna, tum ad comportanda, ita ut plures uni eidemque succedant oneri, & ingentia ramalia, nemorisque stragem, devehant. Si quem fluvium nanciscuntur ad suos accommodatum usus, non tamen satis alto gurgite, struunt aggerem coercendis aquis, donec ad idoneam altitudinem affurgant. Ac primo quidem arbores grandiores arrodendo dejiciunt: deinde transverfas ab una ripa ducunt ad alteram. Duplicem versum & ordinem arborum faciunt; reliquo inter illas obliquè sic positas spatio sex fere pedum, quod referciunt cæmentis, argilla, ramis, tam solerter, nihil ut perfectius à summo architecto expectes. Operis longitudo major minorve est, pro fluvii, quem coercere volunt, modo. Duce-nûm aliquando passuum ejusmodi aggeres reperti. At, si amnis plus justo intumescit, diffringunt aliquam molis partem, ac tantum emittunt aquæ, quantum sat is videtur.

Ut feris silvæ, sic piscibus abundant flumina. Unus est in Iroquæorum lacu, de quo nihil à priscis legitur proditum scriptoribus. Causarus ab indigenis vocatur: octo pedes longus, aliquando decem. Craffi-